



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

VII. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Raymundus de Pennafort cum lacte Mariæ amorem hausit, hujus monitu Religionem pro redemptione captivorum, sub titulo B. V. à mercede, instituit. Eiusdem aspirante favore 160 milliaria, pallio navis instar usus, novus nauta superavit. *B. Zovius in Annal.* Nullus Mariæ cultus est absque mercede.

S. Raymunde aspice è portu felicitatis æternæ hanc animam in procelloso, totque naufragiis infami mari tibi supplicem, peccatorum eam vinculis libera, Marianos eidem favores impetra, ut hæc duce Stellâ maris ad libertatem filiorum Dei tuta perveniat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: meritum actionum hodiernæ diei Deiparæ, ut liberè de illo disponat, donabo.

Omnibus debitricem se pia Virgo facit; omnibus misericordiæ sinum aperit; plenitudinem ejus accipiunt universi. *S. Bern. ser. 2. de Ass. B. V.*

Quæstio: An è tribus Magis singuli singula, an singuli terna Christo & Deiparæ munera obtulerint? *v. Aponte in Evang.*